

LVNÆ DIE 17 M. APRILIS A. 2017

A.d. XV Kal. Maias a. MMXVII

197

# M E L L I S S A



## FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Rue des Aveugles, 14 A, B - 4210 Marneffe.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## LIBERTAS, ÆQUALITAS, FRATERNITAS

– scripsit Gaius Licoppe –

Nimis sæpe auditur, meo sensu, cultum civilem Occidentalem tabescere. Huius opinionis bonum exemplum legitur in libro c.t. *Décadence* (Lutetiæ Parisiorum, Flammarion, 2017); in quo auctor, Michael Onfray, philosophiæ doctor, autumat Europæum cultum civilem Iudæo-christianum ad finem vergere.

Cur imprimis loquitur de cultu Iudæo-christiano? Cultus Occidentalis re vera est Græco-Latino-christianus; iudæitas includitur in christianismo.

Mortem cultus Occidentalis non esse mirandam, dicit ille philosophus, qui se habet Nietzscheum; nam, ut omnia viventia, cultus civilis initium habuit et finem habebit.

Certe omnia viventia, cum sint structuræ dissipativæ,<sup>1</sup> initium et finem habent; hominum tamen cogitata, quibus alitur cultus et regitur humanus se gerendi modus, non sunt materialia ac tamdiu manent, quamdiu exstant homines.

Initium cultus Occidentalis est tempus Litterarum Renatarum sive Renascentiæ, ait auctor; tunc ratio imprimis fidei inservivit; mox autem eandem reprehendit. Hac in re auctor magnum pondus tribuit Lucretii libro c.t. *De rerum natura*, cuius Poggius Bracciolini, humanista Florentinus, primus ineunte quinto decimo sæculo manuscriptum invenit et divulgavit.

Michael Onfray mirum argumentum affert ut demonstrat proximam cultus Europæi mortem. Salman Rushdie, ait, a. 1988 in lucem edidit mythistoriam c.t. *The satanic verses*, qua tantam mahumetanorum iram excitavit, ut Ayatollah Khomeini, Iranæ dux magnæ quoque auctoritatis religiosæ apud externos mahumetanos, anno post *fatwa* in Salman Rushdie decerneret, i.e. damnationem capitis. Cum Occidens tunc nihil fecisset, impotentiam demonstravit, quod est signum proximæ extinctionis.

Singulare argumentum! Obstupefacti Occidentales viderunt miliones fanaticorum in toto orbe mahumetano Salmani Rushdie mortem exigentes, quamquam certe eius librum non legerant: qualis reditus ad Medium Ævum! Certe fieri non poterat, ut Occidentales bellum indicerent toti mundo mahumetano; derisione potius usi sunt et Salmanum Rushdie protexerunt, id est quasi in carcere decem annos incluserunt. Neque derisio mahumetanis placuit, quorum nonnulli feroces fanatici gryllographos trucidaverunt.

Pergit auctor dicens Occidentales mortem timere<sup>2</sup> deque propria valetudine nimiam habere curam; eos insuper exiguam prolem parere. Hæc autem esse signa cultus senescentis. Contra vigere mundum mahumetanum, qui mortem non timeat; eius abundantem pro-

lem, quin etiam ictus terroristicos, esse signa florecentis vitalitatis.

Huiusmodi apologia est insana. Suspensi soli Corano ante sedecim sæcula conscripto, vivere pergunt ut homines ineunte Medio Ævo vivebant; hi mores integri servantur in civitatibus, ubi viget purus cultus mahumetanus, ut Arabia Saudiana et Irania hodierna. In civitatibus Europæis, ubi sunt minor incolarum pars, quamquam civitatis leges respicere debent, animalium sacrificia servare et feminis signum submissionis imponere pergunt; abundantem prolem feminis volentibus nolentibus imponunt, sine ulle cura nimiae incolarum copiæ in Terra.

Post istas aberrantes reprehensiones aliquid respondendum est in laudem cultus civilis Europæi, cuius tres columnæ sunt libertas, æqualitas, fraternitas. Eius initium non habetur tempore Litterarum Renatarum; iam enim sexto sæculo a.Ch.n. Athenarum civibus curæ est civium libertas, prima illius cultus columna. Multum tunc laudantur Harmodios et Aristogeiton, tyrannicidæ vocati, qui tyrannicam stirpem Pisistratæ exstinxerint; multis statuis celebrati sunt.

Romanis quoque civium libertas erat cordi. «Liberi» v.g. est primum verbum libri II, quo Titus Livius *Ab urbe condita* refert de primis Reipublicæ Romanæ temporibus.

Libertas tamen per totam Antiquitatem spectabat ad solos viros, quibus erat dignitas civilis, non ad ceteros neque ad servos.

Christianismus de civium libertate non curabat ac Medio Ævo ubique Europæ viguerunt regimina, quorum tota potestas erat in manibus principum; plura dicam: religio christiana omnem cogitandi libertatem sustulit.

A sexto decimo sæculo libertas cogitandi paulatim nec sine summo periculo recuperatur. Post tria fere sæcula, anno 1789, Magna Rerum Eversio sive Revolutio in Francogallia absolutam regiminis regalis potestatem tandem tollit; tunc publicatur Declaratio iurum hominis et civis, cuius in articulo primo legitur homines nasci et manere liberos æqualesque; sic omnibus datur facultas libere agendi et cogitandi.

In hac Declaratione etiam primum apparet «æqualitas» iuridica omnium incolarum; nullum superest privilegium; hæc est altera cultus Europæi columna. Fieri non potest ut æqualitas sit tota, homines enim non nascuntur æquales corpore, indole et intelligentia; iam tamen bonum est quod facti sunt æquales iuribus, sublati privilegiis; notandum est hanc æqualitatem tunc temporis ad solos viros spectare; feminæ manent in virorum potestate.

Non ante undevicesimum sæculum feminæ incipiunt omnibus virorum iuribus frui atque accessum habere ad studia superiora. Tunc etiam incohantur feminarum protestationes sæpe vi repressæ, quibus ius suffragandi poscunt; quod ius vicesimo demum sæculo eis conceditur.

Etsi iuridice et politice virorum æquales factæ, feminæ nondum erant sui corporis compotes; graviditatem subire debebant etiam invitæ.

Vicesimo sæculo medicina hoc obstaculum superabile reddidit. Atocium inventum est, quo feminis ipsis licet de procreatione statuere. Quæ neglegens vel obstuprata est, restat ut abortum faciat. Hic ultimus gradus feminarum liberationis nondum ubique in Occidente acceptus est, cum tantam adhuc vim habeant Dei verba in Genesi: «Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus cæli et universis animantibus quæ moventur super terram» (Gen. 1, 28). Repleta nunc Terra, tempus iam non est hominum frequentiam augere; hodiernam enim frequentiam iam non ferre potest absque gravibus detrimentis; nam multis in regionibus rarior fit et cibus et aqua; in mari quoque rariores fiunt pisces; magis magisque rara fiunt animalia fera, cum locis feris substituantur agri culti. Oportet incolarum numerum minuere, sed hoc nondum intellexerunt permultæ gentes, inter quas mahumetanæ, quarum Michael Onfray stulte laudat vitalitatem.

Restat tertia columna, fraternitas scilicet. Hanc notionem attulit christianismus, cuius initiis conversi vivebant in communitatibus fraternis; crescente autem fidelium numero brevi apparuit hoc in societate humana fieri non posse; fraternitati substituta est caritas, sensu christiano; hoc tamen modo pauperiores humiliabantur. Socialismus ortus est undevicesimo sæculo, propter inhumanam miseriam operariorum nascentis industriæ; in vestigiis primitivi christianismi fautores socialismi volebant inæqualitates, nisi tollere, saltem minuere. Maximus progressus in hac re factus est vicesimo sæculo, cum in Europa creata est «securitas socialis», qua etiam pauperioribus datur facultas corporis curandi necnon pensio peracto laborandi tempore; quod non fit caritate sed pecunia publica, id est omnium fraternitate. Hæc tertia columna nondum exstat in omnibus Occidentis civitatibus, ut in Civitatibus Unitis Americæ Septentrionalis; conamen enim præsidis Obama statim sustulit novus præses.

Quis negare potest genium cultus civilis Europæi, iam diu ortum, progressus indesinenter fecisse usque ad nostra tempora? Nondum citavi recentes incredibilesque progressus scientiarum, quibus vitæ commodi-

tates semper augentur; hi sunt fructus cultus Occidentalis. Hodie in institutione magis magisque coluntur mathematica et scientiæ naturales, quibus magnum ingenium demonstratur, quamquam dolendum est quod litteræ nimium negleguntur. Michael Onfray increpat hodiernam «societatem consumptionis», relicta spiritualitate, sed totum populum tot res consumendas in promptu habere, hoc est miraculum Occidentale. Omni ævo plerique homines unus alterum secuti sunt, paucis tantum cogitantibus et creantibus. Triste spectaculum certe præbet ingens turba fanaticorum aliquem musicum vel cantorem acclamantium, sed idem spectaculum iam diu præbent gregales homines in manifestationibus religiosis; hæc est immutabilis natura humana.

De spiritualitate hic non est disceptandum, sed se gerere cum cogitandi libertate hominibus facile non est; multo facilius est alicuius religionis præcepta sequi; sola bona institutio potest cogitandi libertatem reddere magis rationalem.

Sunt in Asia antiqui et præstantes cultus civiles, sed libertatis desiderio carentes; per se mutari non valuerunt. Quare Iaponia iam exeunte undevicesimo sæculo cultum Europæum imitari cœpit maximo cum successu; aliæ Asiæ civitates, ut Corea meridionalis et ingentes Sinæ, idem vicesimo demum sæculo fecerunt, etiam maximo cum successu. Orbis mahumetanus contra non solum vivere modo mediævali pergere vult, sed insuper, quantum fieri potest, suum modum aliis populis imponere cupit. Habetne re vera hic mundus vitalitatem, quam laudat Michael Onfray? ☞

1. Structuræ dissipativæ: hac locutione usus est Ilya Prigogine ad structuræ designandas, quæ tantum exstant dum energiam externam consumunt (vel dissipant); Prigogine est physicus chemistaque Belga, origine Russus, qui præmium Nobelianum chemiæ anno 1977 accepit.

2. Vide in *Melissæ* fasciculo 183, p. 1, symbolam c.t. «Cultus vitæ – cultus mortis».

# EX ANTVERPIA LVX? DE CONVENTV QVODAM DIDASCALICO

– refert Christianus Laes –

Die undecimo mensis Februarii anni 2017, cum nives regionem Flandricam leviter tangebant, annuus conventus magistrorum linguarum classicarum Laes suos migravit. Moderatores enim locum consuetum in studiorum universitate Lovaniensi mutaverant pro campo studiorum universitatis Antverpiensis ut participes per totum diem non solum acroases audirent de lingua Latina necnon Græca vivo more tractandis, sed etiam ut experirentur quomodo ipsi tales vias ad bonum effectum adhiberent.

En ordo rerum agendarum, vel potius peractarum. Inter oratores non minus quam tres professores academici atque una lectrix linguæ Latinæ in instituto aliorum studiorum quod dicitur. Inter auditores profestrix quæ res didascalicas tractat pertinentes ad linguas classicas studiorum in universitate Gandavensi, necnon duo inspectores scholarum catholicarum. A proposito ipso academia non videbatur abhorre! Insuper – et maioris certe momenti – plus quam septuaginta aderant magistri, et iuniores et seniores, qui ‘rem novam’ experiri cupiebant eaque de re multum se esse gavisos postea confirmabant.

Tractabat Antonius [= *Toon*] Van Houdt, professor Lovaniensis, exempla colloquiorum Latinorum quæ iam inde ab antiquitate exstant,<sup>1</sup> quorumque exempla imitati etiam magistri hodierni methodo illa uti atque frui possint quæ integrum quoddam responsum apud discipulos provocet [= *Total Physical Response*]. Quod argumentum exemplis iucundis iisque utilissimis illustravit. Christianus [= *Christian*] Laes, professor Antverpiensis, historiam methodorum illarum ‘activæ’ quæ dicuntur inde a sæculo undevicesimo adumbravit, posteaque tres vias est commentatus; methodum scilicet quæ ad textus legendos pertinet, viam quandam mediam in qua ‘methodi vivæ’ propositis magis usitatis intermiscitur, methodos etiam illas immersionis in quibus linguæ classicæ per se illustrantur, nullis fere ambagibus aliarum linguarum admissis. Professor Remco Regtuit Groningensis locutus est de incepto suo quo factum est ut tirones in studiorum universitate fundamenta linguæ Latinæ acquirerent methodo Oerbergiana nixi. Christina [= *Kristien*] Hulstaert librum, methodum necnon situm interretialem proposuit, cuius finis est ut discipuli ordini verborum, structuris ut ita dicam subiacentibus sententiarum Latinarum ab ipso incunabulo, imaginibus atque colis commatisve usi, assuefiant, quo fit ut scripta Latina potius legant atque evolant quam summa cum difficultate vertant.<sup>2</sup>

Prandio sumpto, res ipsæ erant experiendæ. Magistri, in duos greges divisi, invitabantur ut exem-

pla audirent atque spectarent, necnon ipsi res temptarent quæ spectabant ad linguam Latinam, ad loquelam Græcam atque ad methodum legendi. Quam methodum ipsa optime præsentavit Christina Hulstaert, cum seminaria Latinitatis atque Græcitatatis vivæ mirum in modum moderati sunt Caspar [= *Casper*] Porton atque Sietse Venema illius instituti Addisco cuius ope nunc plura auxilia præsto sunt magistris vivo modo docere cupientibus.

Ex parvo convivio postea habito necnon ex epistulis acceptis bene apparet hunc conventum participantibus omnimodo placuisse. Libenter ergo addam conclusiones has. Magistros Flandros usum atque loquelam linguarum classicarum in docendo plerumque despiciere a veritate distat. Propositum econtra eis arridere videtur, dummodo hæ methodi ‘vivæ’ quæ dicuntur id respiciant ut discipuli melius atque celerius scriptis antiquis fruantur. Nobis opus non est linguam Latinam ut novam quandam linguam Esperanticam discipulis proponere, nostrisque prælectionibus methodos linguarum vernacularum omnino imitari. Tale propositum non modo fundamento eget, sed etiam periculum conflatur ne id quod intendimus in institutione nostra, humanitatem dico atque intimam cognitionem auctorum atque scriptorum pristinorum, oblivioni detur. Ceterum, tales magistros hoc in incepto aliquatenus hæsitare, facile intellegimus: eis sæpe deest consuetudo loquendi, oportet illos aliis collegis persuadere ne totum inceptum in schola incassum fiat, omnino carent auxiliis officialibus – ex studiorum universitatibus atque ex gubernatoribus qui spectant ad institutionem – quibus propositum ad bonum effectum ducere possint. Ut ut id est, mihi persuasum est spem non esse depnendam. Eis quibus linguas classicas vivo modo docere est cordi, nunc temporis exstant facultates quæ ante triginta annos omnino erant ignotæ. Florent adhuc circuli Latini necnon seminaria Latina, homines multo facilius per rete mundanum inter se coniunguntur. Ante triginta fere annos, Andreas Fritsch luculenter demonstravit quomodo via quædam media, id est usus linguæ Latinæ atque exercitia in prælectionibus magis usitatis, discipulos pedetemptim ad medullam ipsius linguæ ducere possint.<sup>3</sup> Tunc temporis Fritsch vix prævidere potuit resurrectionem illius methodi Oerbergianæ, quæ nunc magistris totius fere orbis terrarum quasi thesaurum patefecit quo linguam Latinam penitus explorarent.<sup>4</sup> Certe, et illud «contra torrentem braccia colligere» (Iuv., *Sat.* 4.89-90) valet et valebit pro illis magistris qui hanc viam sunt secuturi. Sed placet etiam hoc in incepto non esse soli, unde fit ut hic conventus Antverpiensis non tantum occasio fuerit

iucunda, sed fortasse etiam initium atque spes nova.

Postscriptum: Ceterum, omnes acroases huius conventus Nederlandice divulgabuntur in commentariis qui sunt *Kleio. Tijdschrift voor oude talen en antieke cultuur* (2017). ☞

1. Ecce tres libri mirifici qui etiam spectant ad illos qui nunc Latinitatem vivam colere velint: E. DICKEY, *The Colloquia of the Hermeneumata Pseudodositheana*. 2 vol. (Cantabrigiæ, 2012-2015); E. DICKEY, *Learning Latin the Ancient Way. Latin Textbooks from the Ancient World* (Cantabrigiæ, 2016); E. DICKEY, *Learn Latin from the Romans. A Complete Introductory Course*

*Using Textbooks from the Roman Empire* (Cantabrigiæ, 2017).

2. K. HULSTAERT, *Latijn: lezen zien begrijpen. De positionele methode in de klas* (Gandavi, 2016). Vide etiam <https://www.kdg.be/latijn-lezen#leesmethode>.

3. A. FRITSCH, *Lateinspreken im Unterricht. Geschichte - Probleme - Möglichkeiten* (Bamberg, 1990).

4. Qua in re, imprimis merita illius Academiæ Vivarii Novi atque Aloysii [= Luigi] Miraglia sunt enumeranda. Videte <https://vivariumnovum.it/catalogo> et <https://vivariumnovum.it/risorse-didattiche/pratica-didattica/colloquia-scholastica>.

Optime collegit institutum illud Addisco omnes Circulos Latinos:

<http://www.addisco.nl/blog/circuli-latini.htm>, quin etiam magistris Batavis atque Flandris præbet libros hos: <http://www.addisco.nl/producten.htm>.

Ceterum, his in collectionibus varia etiam proponuntur quæ spectant and linguam Græcam antiquam.

Cum in relatione supra divulgata obiter actum sit de colloquiis didacticis quæ iam antiquitus exstabant, liceat, bone lector, tibi exemplum ostendere huiusmodi colloquiorum, quæ, ut videtur, tertio sæculo conscripta pertinebant ad Græcos Latine discentes. Inter hæc bilinguia colloquia, alia manifesto spectant ad scholam, ut exemplum hic allatum, alia sunt tamquam «mystagogi Berlitz», quibus sententiæ proponuntur variis vitæ cottidianæ conditionibus aptæ. Latinitas nonnumquam est satis mira pro opere didactico, etiam «ferrea» quæ dicitur litterarum Latinarum ætate, tamquam si auctor, ceterum ignotus, loquelam usualem tradere voluisset potius quam veram scientiam Latini sermonis. Pagina hæc excerpta est e: G. Goetz, *Corpus glossariorum Latinorum*, III, Lipsiæ in ædibus B.G. Teubneri, 1892, p. 637.

## I. COLLOQVIVM LEIDENSE

Περὶ συναναστροφῆς. De conuersatione.

Καθημερινὴ συναναστροφή. Cotidiana conuersatio.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Ἡμέρα . ἥλιος ἀνέτειλεν . ἡλίου ἀνατολή . φῶς . φάος . ἤδη φωτίζει . ἥως . πρὸ φάους . πρωί . ἔγρομαι . ἠγέρθη ἐκ τῆς κλίνης . κλίνη . ἐγρηγόρησεν ἔχθες ἐπὶ πολὺ . ἐνδύσόν με . δὸς ἐμοὶ ὑποδήματα καὶ τοὺς πῖλους καὶ ἀναξυρίδας . ἤδη ὑπεδέθην .</p> <p>2. Ἐνεῖγε ὕδωρ πρὸς χεῖρας . ὕδωρ . κόγχη . χεῖρες ῥυπαραὶ εἰσιν . ῥύπος . πηλός . σήπων . λίπος . λελιπωμένον . νίπτω . ἤδη ἐνιψάμην τὰς ἐμὰς χεῖρας καὶ τὴν ὄψιν . καταμάσσω . ἀκμὴν οὐ κατέμαξα . προέρχομαι ἔξω ἐκ τοῦ κοιτῶνος . ἔρχομαι . ἀπέρχομαι εἰς τὴν σχολήν .</p> <p>3. Πρῶτον ἀσπάζομαι τὸν διδάσκαλον . ὃς ἐμὲ ἀντησπάζατο . χαῖρε διδάσκαλε . χαίρετε συμμαθηταί . μαθηταί . συμμαθηταί , τόπον ἐμοὶ δότε ἐμὸν . βᾶθρον . ὑποπόδιον . δίφρος . σύναγέ ce .</p> <p>4. Ἐκεῖ προσχωρεῖτε . ἐμὸς τόπος ἐστίν . ἐγὼ προκατέλαβον . ἐκάθισα . κάθημαι . μαθάνω . μαθάνεις . μελετῶ . μελετᾶς . ἤδη κατέχω τὴν ἐμὴν ἀνάγνωσιν . ἐμός . ἐμή . ἐμόν . ἐμοί . ἡμέτερος . ἡμέτερα . ἡμέτερον . ἡμῖν . σόν . σός . σοί . ὑμεῖς . ἡμεῖς . ὑμέτερον . ὑμῖν λέγω . ἤδη δύναμαι . ἐδυνήθην . ἀποδοῦναι . ἀποδίδωμι . ἀπέδωκα .</p> | <p>1. Dies . sol ortus est . solis ortus . lux . lumen . iam lucet . aurora . ante lucem . mane surgo . surrexit de lecto . lectum . uigilauit heri diu . uesti me . da mihi calciamenta et udones et bracas . iam calciatus sum .</p> <p>2. Adfer aquam manibus . aqua . concha . manus sordidae sunt . sordes . lutum . sapo . unctum . unctatum . lauo . iam laui meas manus et faciem . tergo . adhuc non tersi . procedo foris de cubiculo . uenio . uado in scholam .</p> <p>3. Primum saluto magistrum , qui me resalutauit . aue magister . aue te condiscipuli . discipuli . condiscipuli , locum mihi date meum . scamnum . scamellum . sella . densa te .</p> <p>4. Illuc accedite . meus locus est . ego occupauī . sedi . sedeo . disco . discis . edisco . iam teneo meam lectionem . meus . mea . meum . mihi . noster . nostra . nostrum . nobis . tuum . tuus . tibi . uos . nos . uestrum . uobis dico . iam possum . potui . reddere . reddo . reddidi .</p> |
|---|---|

# DE QVODAM WELLERIANI CARMINIS 'Y' INSCRIPTI LOCO

– scripsit Iosephus Antonius Rojas Carrera –<sup>1</sup>

Hisce tribus novissimis sæculis, nisi doctorum hominum, qui in historiam recentiorum litterarum Latinarum incumbunt, scripta perperam interpretatus sum, eorum numerus qui, emendato ac puro sermone Latino, politiores excoluerint vel adhuc excolant litteras vere exiguus, proh dolor, est, eos certe si cum vernaculis conferas scriptoribus. Quæ ut ita sint, constat tamen nonnullos fuisse vel etiam hisce temporibus esse, qui scripta Latina non solum lectu sed etiam, quæ imitatione exprimantur, vere digna protulerint atque nunc temporis edant. Ne defuerunt quidem ii qui non servili quadam sed feraci auctorum imitatione nescio quid novi atque insoliti litteris mandare valuerint, idque venuste ac perbelle. De hisce paucis sed optimis auctoribus Latinis qui, hac recentiore ætate, non puerili, ut aiunt, sed felici imitatione scripserint, quum alii, tum egregius ille Theodericus Sacré, e disciplina optimi Iosephi IJsewijn profectus, harum recentiorum litterarum indefessus atque strenuus pervestigator, commentationibus suis nos non solum docet, verum etiam, qua est sermonis Latini peritia atque elegantia, suaviter delectat ac locis nonnullis vehementer commovet. Certior enim sum de iis recentiorum litterarum Latinarum auctoribus factus, perlectis Theoderici Sacré commentationibus hisce:

i. *De litteris sæculi XVIII Latinis prolusio*<sup>2</sup> eiusque ampliore commentatione, Anglice scripta, cui index *A Vast and Unexplored Continent: the Latin Literature of the 18th Century*.<sup>3</sup>

In illa de litteris sæculi XVIII Latinis prolusione, Theodericus, inter alia, hæc de recentissimarum litterarum pretio ac pondere: «[...] Sic – inquit – præiudicata quadam opinione solet existimare virorum doctorum natio minimi esse momenti atque ob id ipsum facile prætermittenda, quæcumque post sæculum septimum decimum vel medians vel exiens Latinis sunt litteris mandata. Qua in re graviter errant. Erroris autem causa in eo mihi videtur esse sita, quod multi credunt illis temporibus factum esse ut Latinæ litteræ, litteris vernaculis victæ et deturbatæ, atque e doctorum atque litteratorum re publica eiectæ, omnino languerent ac prope intermorerentur. [...] Nec defuerunt ea tempestate scriptores qui contenderent Latinitatis auctores tritum circa orbem semper versari, imitatione contentos esse sterili. [...] Ubi de sæculis octavo decimo et undevicesimo agitur, eiusmodi dictis præsumptisque suspicionibus innixi viri neotericorum scriptorum studiosi litteras has Latinas recentiores dicam an recentissimas plerumque repudiare solent quippe quas affirmant, si cum vernaculis scriptis comparentur, nauci non esse

habendas. Errant illi mea quidem sententia, a vero longe deerrant. Etenim fuit sæculum illud duodevicesimum, haud secus ac duo quæ antecesserant, litterarum elegantiorum ac Latinarum feracissimum...»

ii. *De litteris Latinis quæ ad prius bellum gentium referuntur prolusio*.<sup>4</sup>

Hac enim postrema commentatione Theodericus quum alia tum hæc: «... Minusque fit sæpe ut illo bello sævientie apud Latinos scriptores reperias, quod cum vernaculis possis comparare: namque hi iam iis ipsis annis, de quibus loquor, carmina sermonibus patriis perpoliebant *Furenti* illi *Tympanotribæ* non absimilia, poematio dico a Iano Novák (1921-1984) edito, quod novo quasi quodam insignitur dicendi genere atque inaudito, imaginibus abundat satis audacibus; [...] Hæc cum generatim pronuntiare non verear, tamen fit in vatem ut hic illic incidam, novas qui vias sit inire conatus atque ante id tempus ignotas; [...] alii iuxta exempla Pascoliana animos hominum paulo audacius explorare sunt aggressi eosque, tritis relictis orbitis, modo novo atque suo depingere sunt conati. Fuerunt igitur qui effingerent quæ apud veteres aut raro offenderentur aut numquam.»

Edoctus quoque sum de iis rebus perlecto Iosephi et Linæ IJsewijn-Jacobs opusculo cui index *Commentariolus de litteris latinis recentioribus ad Iosephum Eberle doctorem honoris causa et poetam elegantissimum*.<sup>5</sup> «Nam – aiunt – et litteras Latinas post tot sæcula usque adhuc florere quingenti illi poetæ ostendunt, qui post annum MCM carmina ediderunt, iique quam vero quamque intimo æstu poetico ad carmina Latine pangenda cogantur sæpius e familiaritate, qua cum nonnullis eorum coniuncti sumus, clare percepimus. Isti tantum viri, qui linguam Latinam corpus quoddam putant medicatum et dissecandum, quo ex corpore scientiarum ossa eruant, sentire non possunt profundum illud et quasi divinum gaudium, quo etiamnunc Latini scriptores, ubi ad Musas Latinas accesserint, suavissime perfunduntur.»

Itaque, sit parvus licet recentissimorum scriptorum Latinorum numerus præ vernaculis auctoribus. Qui tamen numerus, ut initio innui et significavi, minime infimus est. Quinimmo digitis omnibus non hominis cuiuspiam sed Briarei illius hecatonchiri sive centimanus vix annumerari possunt tot vere tanti talesque recentissimi ævi scriptores Latini! Adde quod, etiam si hac iniqua linguæ Latinæ, iniquissima vero linguæ Græcæ ætate, pauciores in annos sint horæ publicæ



harum linguarum institutioni dicatæ, rationibus tamen atque viis Latine docendi quæ doctrinam cum usu opportune copulant innixi præceptores alumnorum animos ad hosce perennes sermones eorumque immortales litteras alliciunt, unde novæ propagines nascuntur novique flores radices agunt suas, qui hortum Latinitatis novissime excultum feliciorum in dies reddant.

His vero præfatis, paucis narrare velim de venusto vereque singulari flosculo Latino quem casu quodam repperi in exiguo recentissimæ Latinitatis horto tam a multis huius ætatis eruditis hominibus qui tantummodo modernis linguis studeant, superbe, eheu, neglecto ac turpiter derelicto.

Agitur enim de præclari Hermanni Weller bene noto carmine, distichis pereleganter exarato, Y perbrevisiter inscripto.<sup>6</sup>

Paucissima prius de auctoris vita narrabo, quem quidem auctorem haud ignotum esse ab hominibus recentissimarum litterarum peritis non sum nescius, quam summatim exponam illius miri carminis argumentum, quo salutaris humanitas rebus in adversis fortiter vindicatur, eiusque carminis veneres cupidinesque pereleganti sermone versibus sparsas, quibus præterea facietis res illa tam acerba et spinosa, stirpis enim diversique animi cultus causa segregationem dico, salibus nescio quibus condiatur, illecebris etiam leporibusque suavissima venustatis veste obtegatur, quo denique verborum lusu quasi abrupte rotundetur opus tremebundoque fabulæ fine attonitus lectoris animus permoveatur. Ac præteriens ut dicam, ex me quæro utrum eum, ad carminis calcem, finem lectorum animos sine dubio percellentem aliter ac prima videtur specie interpretari possimus propter cuiusdam verborum iuncturæ sensum apud Iuvenalem saltem usurpatæ an ea tantum locutione usus sit ingeniosus auctor ad id quod ei erat firmiter declarandum suaviter tamen ac fere dissimulanter proferendum.

Ceterum, oro mihi ignoscant omnes litterarum Latinarum, recentissimarum præsertim, periti homines quod, quum philologus non sim, quum præterea linguæ litterarumque Latinarum scientia ac peritia haud vere præstantem me habeam, quum denique obtusiore,

proh dolor, ingenii acumine præditus mihi esse videar ad politiores litteras pervestigandas atque rimandas, non nisi pingui, ut aiunt, Minerva de illo præclari auctoris miro sane ac venusto carmine elegiaco agere possum, idque, pace omnium doctorum, prospicere tantum, et a limine, ut aiunt, salutare.

Quis igitur illius carminis auctor fuerit paucis deinceps exponam. Anno 1878 Gamundiæ in urbe Germaniæ, quæ vulgo audit *Schwäbisch Gmünd* lucem hausit primam Hermannus Weller. Haud scio an alicubi legerim de eius parentibus æquo maturius de vita, pro dolor, decessis, de fortissima nutrice quæ Hermannum puerulum una cum germanis eius haud quidem paucis alendum educandumque strenue humaneque susceperit.

Virilem postea ingressurus ætatem, postquam Tubingæ in studiorum Universitate palæophilologiæ licenciatu est renunciatus, in oppido quod vulgo *Ellwangen* nuncupatur linguas classicas, quas appellitant, Græcam scilicet, Latinam, Hebræam ac modernum sermonem Gallicum discipulis in Gymnasio tradebat, donec Tubingam reversus multos ibi annos Indologiam profiteretur.

Quum autem otio litterato ei liceret frui, subsecivis enim horis ab institutione scholastica subreptis, Camenæ numine feliciter afflatus versus fundere præamabat Latinos carminaque ludere quæ iterum ac sæpius in præclaro illo Amstelodamensi Certamine Hoëffiano magni æstimabantur, quin immo, permagni sæpius, cum magna ibi laude sit undecies honestatus, aureo præterea numismate duodecies decoratus.

Igitur, inter alia multa, quæ panxit Hermannus ille, carmina, id unum, de quo supra mentionem feci, quod præterea concordiam mutuam inter diversas gentes dulcisonum canticum leviter tangit commentariolus meus, de cuius denique calce, horrissono quodam ictu lectorum pectora percutienti, crassa, quod aiunt, Minerva sum acturus, exiguo illo titulo, Y videlicet, insignitum, magnam libertatis humanitatisque laudem pereleganter profert.

Est præterea mihi in animo eius carminis editionem concinnare aliquando, imaginibus illustratam, notis Latinis instructam, Latina denique paraphrasi numeris soluta oratione, eademque planiore, simpliciore, inornato enim sermone munitam ad usum videlicet discipulorum meorum, qui Montauri illius methodo linguæ Latinæ dant operam. Nec tamen fugit me ab aliis iam pridem magistris eos Vellerianos elegos intra parietes scholasticos coram alumnis vel potius una cum iis tractatos esse. Una saltem optima magistra natione Itala, Lucia Mattered nomine, id carmen curavit illustrandum ac patrio sermone utilissimis notis explicandum discipulis suis destinatum, idque felici successu.<sup>7</sup> Operæ igitur pretium est eius criticum commentarium perlegere, quod quidem *De bello alphabetico* inscribitur.



De argumento illius Welleriani elegi Y inscripti multa scripserunt litterarum peritiores homines. Quamobrem, ac ne multus sim, nolim equidem, cram-ben repetitam, ut aiunt, apponere. Carminis igitur argumentum non nisi summam, ut supra dixeram, exponam dum ad mirum eum locum me conferam qui est ad carminis calcem.

Etenim, elego illo carmine, velut poetica fabella, narratur quemadmodum poeta quidam, post vendimiam, autumno videlicet tempore, animo morigerans suo iucunde conversans atque vino præter modum forsitan indulgens, compotans enim, cum amicis, sole cadente, domum solus redire statuerit. Cum ebriolus ambularet per viam, recordatus est amicæ suæ, quam efflictim amaret, Lydiæ nomine. Domum ille redux, ægre valuit oppessulatum ostium aperire ac deinde cubiculum intrare suum. Animadvertit præterea omnes fere supellectiles discerni posse, adeo enim splendebat speciosa Luna plena. Tunc demum, lecto accumbens, librum quem apertum esse viderat, lectitare cœpit, etsi ægre magnaque animi contentione, pugnans enim cum Bacchi ac Morpheï viribus. Inter legendum autem, obstupefactus sibi visus est videre litteras ad unam omnes de ipsa pagina labentes invadentesque lectum cubiculumque. Attonitus quoque audivit easdem discurrentes litteras stridentes sonos edentes strepitumque formidulosum facientes eundemque qui inter præliandum fieri solet. Pugnabant enim litteræ inter sese! Nec pugnandi finem fecissent, nisi præpotens littera A graviter exclamasset finemque pugnandi iussisset. Quæ quidem littera extemporalem habuit orationem, eandemque ardentissimam, utpote iræ ac furoris plenam. Exhortans enim ceteras litteras, omnino persuasit eis malorum omnium atque infortunii causam non esse aliam nisi quod Y, alienigena littera, ceteris litteris, purioris idiomatis ingenuæque stirpis, turpiter commixta esset. Nondum finierat orationem suam dux ille sævus, quum furentes ceteræ omnes violentissimas inicerent manus miseræ litteræ alienigenæ, eamque vinctam, ad iniquum iudicium perducerent ream. Quæ tamen littera sese a ligamine expedire ac liberare valuit, dictoque citius, per fenestram cubiculi salutem fuga petere, poeta interea omnia obstupefacto immobilique contemplante. Pœnituit eum præterea se inertem tantam iniquitatem spectasse, nullumque miseræ litteræ Y auxilium ferentem. Consilio tandem capto, statuit ipse per fenestram exire peregrinamque illam Pythagoræ litteram, tam indignè atque iniuste a ceteris tractatam, quæritare. Cui quidem in arboris ramo repertæ poeta persuadere conatus est ut secum domum rediret, quod ipse alias litteras, larvarum fere plenas, iusta habita oratione, ex insaniam ad humanitatem reduceretur esset. Tunc vero, sinceram commoventissimamque veterum Græcorum cultus laudem protulit poeta. Cui tamen subridens Y, non amplius quæ in terris acciderent, sed potius quæ semper in cælo peren-

nant, curare videbatur. Interea vero, velut *it nigrum campis* formicarum *agmen*,<sup>8</sup> per ædium murum labebantur atræ litteræ iam, merce, Furiis actæ, vesano, implacabili inexorabilique in alienigenas odio amentes in poetam inque peregrinam litteram, bivium vitæ ostendentem, foedissimum impetum facturæ.

Desperans vero ac metu tremens poeta ab ipso Iove auxilium suppliciter petit, cui quidem *subridens hominum sator atque deorum*,<sup>9</sup> ut par erat, tulit opem tonans, adeo maximum in cælo fragorem gravissimumque strepitum edens, ut perculso animo e somno tandem expergefactus sit poeta noster.

His autem in adiunctis, elegans versificator, Wellerus enim noster, poetiæ fabulæ finem imponit, initium vero exponit miri cuiusdam loci de quo hanc auspicans commentatiunculam me verba facturum dixi. Etenim, persona illa primas in fabula partes, ipsam Y litteram si exceperis, agens, poeta videlicet seu grammaticus, cultus Græci eiusque litteræ Y amantissimus, iratum Iovem precatus audivit denique deum totis viribus tonantem maximosque strepitus in cælo facientem (vv. 226-229):

Et deus, invicto qui temperat omnia nutu  
Quique tenet dextra fulmina sæva manu,  
Intonuit, sonuitque fragor simul undique tantus,  
Ut tremerent tellus longaque regna poli.

Quum tamen grammaticus ille perculso animo tantos in cælo strepitus ipsaque in terra tremores maximo timore, immo, terrore permotus audiret, hos fudit verus (230-235):

Me quoque terribilis subito concusserat horror  
Torpebantque novo pectora victa metu.  
Ut tamen horrendo tanquam pulsantis ab ictu  
Sensimus immeritas condoluisse nates,  
Cum sensu rediit mihi mens: simul omnia vidi,  
Quælibet ex animo fugerat umbra meo.

Omnia igitur non nisi somnia fuere quæ viderat poeta! Omniane? Utinam vero, nam luce clarius patet ea fabula querimoniam lugubremque lamentationem propter insanam Hitleriani regiminis odium erga homines aliter sentientes, erga quoslibet peregrinos, erga alienigenas denique omnes qui non pura atque ingenua progenie existimarentur orti, sub venusto Latinæ Camenæ obtegi velo.

Ceterum, attonitus, merce, obstupui, fatendumst mihi, quum primum legerem grammaticum illum timore correptum animoque perculsum esse haud secus ac permoveri solent horrore metue quicumque condolere sentiunt *nates suas horrendo ictu pulsas*...

Quid vero sibi velit istud *nates horrendo ictu pulsare*, suppudet me, lector observande, ab acia, quod aiunt, et acu exponere... neque quemquam vestrum

stomachari velim veri similem solitamve, ni toto cælo erro, eius loci interpretationem iterum audientem, idque ad nauseam fere, sicut interpretis cuiusdam eandem incudem diem noctemque tundentis, vel potius eius qui, ut est in vetere proverbio, eandem cantilenam canat, neque tandem, ut in transitu dicam, de solo homine carminum interprete iam loquor, sed potius de ea corporis parte quæ carmen horridulum edere vel occinere soleat, ut in lepido sane ac faceto carmine ævi Carolingici (*De quodam Lurgone meribibulo*) legere possumus. Quod quidem carmen ab ipso Wellerō forsitan ignotum non fuisse facili assequor coniectura, pinguique denuo, pace lectoris, Minerva ago, hunc eiusdem carminis Carolingici locum conferens («somno Bacchoque repressus») cum eis Welleriani elegi locis quibus grammaticus exhibetur Bacchi atque soporis viribus gravatus, etsi eiusmodi locus de homine Bacchi Morpheique viribus oppresso facile communis esse in carminibus id genus haud sane mirer.

Utut est, ad rem ut redeam, tali pacto eum locum interpretanti mihi confestim subit cogitatio qua de causa poeta noster humanissimus idemque elegantissimus iura hominum oppressorum venusto illo elego vindicans, quæ quidem res procul dubio gravissima est, finem tamen carmini tam facetum atque iocosum, ne dicam subridiculum, imposuerit. *Æquam* forsitan *rebus in arduis servare mentem*<sup>10</sup> ab Horatio illo Flacco, quem in oculis gerebat, probe edoctus Wellerus, acerbissimum illud tertium imperium nescio an festive ac iocose irridere maluerit. Nihilominus, quum ex me quærem num alio pacto interpretari possem illam miram verborum iuncturam quæ est «pulsare nates», quæ legitur in supra laudatis versibus 232 et 233,

Ut tamen horrendo tanquam pulsantis ab ictu  
Sensimus immeritas condoluisse nates,

hunc subito Iuvenalis locum necopinatus offendi: *et solea pulsare nates*,<sup>11</sup> quo, ni fallor, iunctura ei, quæ in Welleri carmine apparet, nisi eadem sit, at certe simillima continetur. Quam præterea iuncturam verborum hoc pacto interpretantur homines docti qui edenda curaverunt illius satirici poetæ opera: *indigne enim atque ad libitum tractare, maritum*, videlicet, eo ipso Iuvenalis loco, at etiam, nescio an recte ipse addiderim: *quempiam*.

Fierine igitur potest ut eum locum hoc pacto interpretari possimus tamquam si auctor significare vel exprimere voluerit grammaticum, illam enim fabulæ poeticæ personam, horrore percussum, valde metuere admodumque timere ne tam indigne atque immerito

tractetur ut in posterum irrideatur ac pili non æstimentur, velut omnes enim timemus ne tam parvi iniquum in modum æstimemur neve ad insaniam fere redigamur ab aliis perpetuo vexati atque despecti?

Nescio vere num ista rector sit eius loci interpretatio. Certe citra pudicitiam vel citra ruborem sit fortasse, haud vero scio an veri similior esse possit.

Ceterum, tertia demum illius loci interpretatio posteriores versus, a 236 ad 239, legenti mihi obtulit sese:

Quid potius facerem? Risi, tremuitque cubile  
Lætifico risu tota domusque meo:  
Excideram lecto: vigil attonitusque premebam  
Quernea cum Flacci codice strata soli.

Etenim præteritum illud tempus plus quam perfectum *excideram* consideranti mihi hæc postremum subiit cogitatio: quid si, inquam, perterritus ille grammaticus e somno subito expectatus eque formidulosus istis somniis tandem liberatus est, postquam e lecto decidit in solum, horrendo scilicet ictu natibus eius pulsatis pavementum offendentibus, id quod omnibus nobis alte dormientibus, etsi raro, accidere tamen potest?

Hæc demum hactenus, lector benevole, quæ dicere habui de Hermanni Weller carminis cui index Y miro illo loco, quem tamen locum rectius fortasse, quam supra dixi, et intellegi et explicari posse haud dubitaverim. ☺

1. Hæc symbola divulgata est in auctoris sede interretiali: <http://quodinsolum.blogspot.com.es> > 2016/12. Ibi vocabula quædam tangens accessum habes ad textus explicationesve. Auctor etiam præbet carminis recitationem hoc loco: [http://www.ivoox.com/hermanni-weller-carminis-y-inscripti-recitatio-audios-mp3\\_rf164321681.html?autoplay=true](http://www.ivoox.com/hermanni-weller-carminis-y-inscripti-recitatio-audios-mp3_rf164321681.html?autoplay=true).

2. *Melissa* 186 (2015) p. 4-8 et 187 p. 5-9.

3. In: R. Spataro (ed.), *Studia Latinitati Provebendæ. Acta Conventus nationum*, Romæ, 2015, p. 29-77.

4. *De bello et pace*. Conventiculum Latinum cuius acta edidit Theodericus Sacré, Romæ 2015. [www.academialatinitatitfovendæ.org](http://www.academialatinitatitfovendæ.org) > Acta conventiculorum.

5. In: *Viva Camena*. Latina huius ætatis carmina collecta et edita ab Iosepho Eberle, Turici et Stuttgartiæ, 1961, p. 185 sq.

6. Totum carmen (sat enim longum est) legi potest in interretiali Bibliotheca Augustana. Deficiente autem spatio tantum excerpta hic iuxta proponimus.

7. Quæ editio etiam in interreti invenitur: [www.centrumlatinitatis.org](http://www.centrumlatinitatis.org).

8. Verg. *Æn.* IV, 404.

9. Verg. *Æn.* I, 254.

10. Hor. O. II, 3, 1-2.

11. Iuv. VI, 612.

## HERMANNI WELLER 'Y'

- passim -

*Paulo leviora canamus*

Vinifer Auctumnus silvas ubi visit et hortos  
 Arvaque lætifica veste decorus adit,  
 Tunc calamos tenues inflat, sua regna peragrans,  
 Effunditque novos fistula mira sonos. (...)  
 Me quoque cum turba celebrantem festa sodali  
 Vinxerat haud dura compede dulce merum.  
 E bene colluto dederamus gutture cantus;  
 Omnis erat nostro cura fugata choro.  
 Afflatusque meri generoso numine, tandem  
 Constitui sera nocte redire domum.  
 Luna super domuum fastigia celsa nitebat;  
 Splendor in hoc nunquam lumine tantus erat.  
 Orbis erat plenus, potuit faciesque videri  
 Risu diducens ora serena levi.  
 Quid, dea, subrides? Num te quoque vicit Iacchus?  
 An quia, proh, titubat proxima quæque domus?  
 «State, domus», dixi, «quæso, paulisper; amicæ  
 Parcite, quæ dulci pressa sopore iacet.  
 Odit enim blandos sibi rumpi Lydia somnos;  
 Novimus: experto credite; state, domus!»  
 Sed mihi submisce recitanti «Lydia, dormis?»  
 Illius occurrit præteritque domus.  
 Iamque meos vidi procul occursare penates:  
 Væ, labor Herculeus perficiendus erat:  
 Non ita difficile est cymbas intrare vehentes  
 Ut, quæ diffugiant, detinuisse fores.  
 Sed quem dulcis Amor regit et Iovis ebria proles,  
 Est sacer et tutus, sit via dura licet.  
 Et validas aperire fores mihi contigit atque  
 Sclarum leves exsuperare gradus. (...)  
 Conscondi posita gemebundum veste grabatum  
 Et legi solito cetera more cubans. 65  
 Languentes oculi ceciderunt sæpe legenti,  
 Nutavit victum sæpe sopore caput,  
 Sæpe toro lapsurus erat manibusque libellus,  
 Suntque simul visæ delituisse notæ.  
 Sed tamen obstitimus: nondum vigor omnis et ardor  
 Cesserat e membris ingenioque mihi.  
 Utque reluctabar, fugientia signa redibant,  
 Et poteram digito fluxa iuvante sequi.  
 Ac sua pugnanti duplicavit lumina Phœbe,  
 Blandaque erat, studiis talibus apta, quies.  
 At quid id est? Heu, quæque suo iam littera cedit,  
 Ecce, loco, suetam deseruitque vicem.  
 Mira loquor: citus ut pulex hæc exsilit, illa  
 Forficulæ similis margine lapsa cadit.  
 Plurima pars, levium velut agmina formicarum,  
 Turbida per lecti pallia tota ruunt.  
 Pallueram, quidquidque mihi superesse comarum  
 Glorior, arrectum, proh, stetit omne metu. (...)  
 Et cadit O magnum: iacet, heu, quamvisque reclamationat, 109

1 Ut trochus a spurco volvitur – ecce! – choro.  
 Non tulit hoc populi princeps ductorque sagax, A,  
 Qui gravior sociis splendidiorque fuit.  
 Sæpius hic rabiem potuit frenare popelli,  
 19 Sæpius arguta flectere voce gregem.  
 Tunc etiam vix audierat plebs cæca severi  
 Verba sonora ducis, cum stupefacta silet.  
 Ille: «Quis, ah,» dixit «cives furor incitat? Iræ  
 Parcite! Ne proprios dilacere viros!  
 Sunt alienigenæ, quorum satiare, Quirites,  
 Sanguine iam dudum pectora tempus erat.»  
 Necdum finierat: fremitu stridente faventum  
 Quæritur Y psilon; protrahiturque nocens,  
 Perducuntque reum clamantes ante tribunal  
 Ad tenuemque ligant brachia vara pedem.  
 Tum sic incipit A: «Animos attendite, cives:  
 Grammaticus (– tremui! –), credite, noster amat.  
 Noster amat Latio – pudor est – non nomine dignam  
 Quæque peregrinos præferat ipsa sonos.  
 Sic ergo malus iste potest corrumpere mores! (...)  
 Sermonem studet hic sensim vitare Latinum: 135  
 Publica res agitur vitæque nostra, viri! (...)  
 Ecce fenestra viam dedit et, delapsus, in hortum 175  
 Nescio quo veni subveniente deo.  
 Miraque conspexi: tendens in vertice pini  
 Y psilon stabat brachia parva meum.  
 Maius erat solito: dulci cum lumine Phœbes  
 Imbiberat – si fas credere – roris aquas.  
 Quid facerem? Piguit sudantem scandere truncum.  
 Dixi igitur blando talia verba sono:  
 65 «Y, precor, o redeas: fidus te quærit amicus (...)  
 «Tu fer opem» dixique «superciliumque moveto, 223  
 Iuppiter, o, si quid nunc quoque, sancte, potes!»  
 Et deus, invicto qui temperat omnia nutu  
 Quique tenet dextra fulmina sæva manu,  
 Intonuit, sonuitque fragor simul undique tantus,  
 Ut tremerent tellus longaque regna poli.  
 Me quoque terribilis subito concusserat horror  
 Torpebantque novo pectora victa metu.  
 Ut tamen horrendo tanquam pulsantis ab ictu  
 Sensimus immeritas condoluisse nates,  
 Cum sensu rediit mihi mens: simul omnia vidi,  
 Quælibet ex animo fugerat umbra meo.  
 Quid potius facerem? Risi, tremuitque cubile  
 Lætifico risu tota domusque meo:  
 Excideram lecto: vigil attonitusque premebam  
 Quænea cum Flacci codice strata soli.  
 Exsilui. Iam luce nova conclavia Titan  
 Complebat, dudum venerat alma dies.  
 Agmina iam volucrum per cærulea regna volabant,  
 Ex hortisque recens aeris ibat odor. ☞

# DE NOVA GENESI

## PARS II: DE TERRÆ CONSTITVTIONE ET VITÆ ORTV

– scripsit Gaius Licoppe –

Solum in systemate solari et præsertim in eius planeta Terra complicationis decursus observari potest. Terra nata est ante quinque miliarda annorum ex eo, quod tunc adhuc erat nebulosa solaris; processus illius ortus nondum est bene notus.

Initio Terra e magmate liquido calidissimoque constabat. Ante circiter quattuor miliarda annorum, decrescente temperatura, crusta apparuit supra magma. Cum temperatura sub 100 gradus Celsii pervenit, aquæ vapor condensatus est et planetam ita inundavit, ut oceani implerentur. Substantiæ solubiles sive manserunt in aqua, sive in oceani fundum delapsæ sunt, ubi nostra ætate reperiuntur. Adhuc inter doctos disputatur de origine illius aquæ; probabiliter continebatur in ipsa Terra et aucta est cadentibus saxis meteoris.

Nulla vita possibilis est sine aqua et scientifici pro certo habent eam in aquis initium habuisse. Res mira, temperatura stabilis manet inter punctum fusionis et punctum ebullitionis aquæ iam a compluribus miliaribus annorum; hæc condicio non contingens necessaria est, ut intricatæ viventium moleculæ formari possint.

Carboni chemia novos complicationis progressus induxit; hoc enim atomo constitui possunt moleculæ, quarum nonnullæ singularem facultatem «polymerizandi»<sup>1</sup> habent, id est longas, quin etiam longissimas, molecularum catenas ædificandi. Earum primus gradus sunt amina acida, parvæ moleculæ quarum in medio est unus carboni atomus; quomodo amida acida in Terra et in saxis meteoris formata sint, adhuc est obscurum. Circiter 500 amina acida inventa sunt, sed in viventium telis tantum 20 inveniuntur, quæ dicuntur biologica.

Amina acida polymerizando faciunt polypeptida;<sup>2</sup> in eorum catena ubicumque poni possunt diversa acida amina. Si vero in polypeptidorum catenis illa sola 20 acida amina biologica adhibentur et catenæ e 100 acidis aminis ad maximum constant, quod parum est, 10<sup>130</sup> polypeptida formari possunt. Tanta copia formari non potuit cum defuisset et tempus et spatium et materia; ex his solum creata sunt polypeptida specifica ad telas viventium necessaria.

Acidorum nucleicorum<sup>3</sup> compositio etiam magis intricata et diversa est; duo genera sunt, acidum desoxyribonucleicum (ADN) et acidum ribonucleicum (ARN); omnes iam aliquid audiverunt de ADN, quod singuli homines habent ut suum signum proprium atque exclusivum.

Non magis intellegitur quomodo diversæ partes, quibus constant longissimæ catenæ acidorum nucleicorum, in Natura gigni potuerint; certe in hodiernis laboratoriiis fabricari possunt, sed modo tam intricato,

ut in Natura multæ materiæ proprietates debuerint non solum concurrere, sed etiam cooperari. Huiusmodi cooperatio non est contingens.

Ad summam, præparatio macromolecularum sive fortuna inaudita inexplicabilique fructa est, sive est exitus veræ coniurationis proprietatum materiæ.

Sequens complicationis gradus est creatio cellulæ, quæ est later omnium viventium telarum. Tot sunt posibles macromoleculæ, ut secum interrogandum sit quomodo evolutio potuerit e tam giganteo numero seligere macromoleculas necessarias ad cellulam fabricandam.

Oportet ad mentem semper habere nullam novam structuram formari posse sine informatione, i.e. sine rationabili ichnographia; neque domus, neque autocinetum e.g. exstrui potest sine excogitata ichnographia.

In macromoleculis informatio tantum spectat ad earum structuram, sed cum de cellulis agitur, inventio codicis genetici fuit necessaria; eius sedes est in ADN in nucleo cellulæ sito; e nucleo de eo mittuntur in circumdatum cytoplasma nuntii ARN (acidum ribonucleicum), quorum informationes de variis proteinis fabricandis in microofficinis (ribosomatibus) tractantur et ad effectum ducuntur.

Inventio membranæ, intra quam cellula includitur, eam dividit a circumiectis atque ei confert aliquam autonomiam; ei enim licet alimenta necessaria e circumiectis seligere atque purgamenta, quæ gignit eius vita, expellere.

Si eventa supra narrata consideramus, Natura manifesto operam continuo dedit ad certum propositum assequendum. Lectores certe animadverterunt frequentem necessariumque usum vocabulorum, quæ sunt «inventio» et «creatio», in narratione Naturæ operum; sed quid est Natura? Inventio et creatio sunt vocabula, quibus communiter utimur cum loquimur de mirificis operibus ingeniosorum hominum, quæ nobis videntur esse fructus magnæ intelligentiæ...

Omnia, quæ in Terra vivunt, originem trahunt a stirpe unica. Omnia viventia ædificata sunt ex his viginti circiter acidis aminatis biologicis de quibus supra; idem codex geneticus adhibetur in omnibus viventibus seu vegetalibus, seu animalibus, quæ cuncta, non exclusis hominibus, oriuntur ex unica stirpe; eius prima anti-quissimaque cellula vocatur «progenotum».<sup>4</sup>

Omnia viventia sunt «structuræ dissipativæ»; hanc optimam locutionem creavit Ilya Prigogine<sup>5</sup> anno 1969 ad has structuras designandas, quæ solum exstant quamdiu energiam consumere (vel dissipare) valeant; habent ortum et mortem.

Cur unum tantum progenotum? Fortasse fuerunt complura, sed unum tantum progeniem habuit; de

ceteris, si fuerunt, nullum inventum est vestigium. Progenoti ætas est incerta, circa 4 miliarda annorum ut videtur; eius stirps mature divisa est in duos cellularum ramos, archæobacteria et eubacteria. Reliqua archæobacteria inventa sunt in nonnullis locis absconditis; hic ramus videtur ab origine immutatus. Contra eubacteria frequentem longissimamque progeniem habuerunt, usque ad hominem; hoc tamen non factum est sine maximis impedimentis.

Eubacteria, cum sint structuræ dissipativæ, continuo energia egent, quæ gignitur, ut in omnibus viventium cellulis, ex transformatione adenosini triphosphati (semper brevius scripta ATP), in aliud nucleotidum ADP (adenosinum diphosphatum).

Initio eubacteria videntur satis ATP invenisse in circumiectis. Frequentissimis tamen factis eubacteriis, copia ATP in circumiectis iam non suffecit. Tunc inventa est fermentatio, processus valde intricatus, quo glycosum in circumiectis præsens adhibetur. Processu chemico molecula glycosi in duas partes dividitur; hæc divisio liberat energiam, qua ADP iterum fit ATP.

Glycosi copia in oceano necessario paulatim minuta, photosynthesis a cyanobacteriis inventa est, cuius instrumenta sunt chloroplasta, particulæ intracellulares maximæ intricationis. Chloroplasta efficiunt ut ope solis radiorum combinatio duarum abundantium molecularum, aquæ (H<sub>2</sub>O) scilicet et dioxydi carboni (CO<sub>2</sub>), fabricetur glycosum, cuius cum singulis moleculis etiam nascuntur 6 moleculæ oxygenii; deinde fermentatio glycosi operatur liberando energiam ad ATP restituendum necessariam.

Cum solis radii, aqua et carboni dioxydum in circumiectis abundant, cyanobacteria tam prospere multiplicata sunt, ut copia oxygenii liberati circumiecta omnino transformaverit; atmosphæra enim oceanoque oxygenio refertis, oxydatio multas res delevit et ipsa quoque cyanobacteria, quæ suo successu in maximo discrimine erant. Quid erat faciendum? Duæ tantum erant possibilitates, sive cyanobacteriorum pauca reliqua supervivere in raris locis ab oxygenio tutis, ubi re vera inventa sunt, sive mutari in nova bacteria oxygenium non timentia...

Et novum miraculum factum est: potius quam ab oxygenio protecta sunt, intricatum systema inventum est, quo ex ipso oxygenio nasceretur necessaria energia; in hoc systemate glycosum necessarium est, quod invenire oportet in circumiectis. Intra cellulam vera officina chemica glycosum dissolvit in aquam et carboni dioxydum, regenerando quoque usque ad 38 moleculas ATP; beneficium energeticum multo maius est, quam in præcedenti systemate. Hoc systema, satis improprie «respiratio aerobica» vocatum, apparuit ante

circiter 3 miliarda annorum.

Ab eo tempore bacteria, quibus unum tantum chromosoma est, progressus iam non fecerunt, sed apparuit cellula maior et multo intricatior; nucleum habet, in quo complura et gradatim multa chromosomata insunt. Hæc nova cellula, «eucaryotum» vocata, adhibet respirationem aerobicam.

Quomodo cellulæ eucaryotæ apparuerint, adhuc latet, sed e miraculo statistico oriri certe non potuerunt.

Omnia viventia constant e cellulis eucaryotis; pars eorum sibi assumpsit bacteriorum chloroplasta et glycosum fecit e solis luce; sunt vegetalia. Cetera sunt animalia, quibus necesse est glycosum sumere e circumiectis, id est seu vegetalia seu animalia comedendo; eorum ortus æstimatur, quantum scire possumus, fuisse ante circiter 700 miliones annorum.

Hæc symbola mea non est cursus biologię; spectat ad lectores scientiarum naturalium plerumque parum studiosos. Propositum meum est satis intellegibiliter adumbrare quibus stupendis et inexplicatis gradibus vita in Terra apparuerit et deinde, crescente combinatione, genuerit innumerabilia diversaque plantarum et animalium genera. Gradus illius genesis, qui manifesto ducunt ad hominem, semper novum complicationis incrementum afferunt, quod fortuito fieri non potuit. Novissimum incrementum fuit homo, qui donum maxime venenatum accepit, loquor de sui conscientia.

Creatio ergo apparet continua; estne homo, qualis nunc est, terminus evolutionis? Nemo respondere potest... ☺

1. «Polymerizare» est neologismus scientificus ad similitudinem verbi Francogallici *polymériser* et Anglici *polymerize* fictus.

2. Fr. et Angl. *polypeptide*.

3. Fr. *acide nucléique*, Angl. *nucleic acid*.

4. Fr. *progenote*. In lingua Anglica potius adhibetur cognomen *Luca* (*Last Universal Common Ancestor*).

5. Ilya Prigogine est physicus chemistaque Belga origine Russus, qui præmium Nobelianum chemiæ anno 1977 accepit.

#### LIBRI ADHIBITI

Christian De Duve, *Construire une cellule*, Bruxelles, De Boeck, 1990.

Louis Duquesne de la Vinelle, *Du Big bang à l'Homme*, Bruxelles, Éditions Racine, 1994.

Joseph H. Reichholf, *L'émancipation de la vie*, Paris, Flammarion, 1992.

Jacques Ruffié, *Traité du vivant*, Paris, Flammarion, 1986.

Ilya Prigogine & Dilip Kondepudi, *Des moteurs thermiques aux structures dissipatives*, Éditions Odile Jacob, coll. Sciences, Paris, 1999.

# DE CONVENTV IN HELGI NIKITINSKI MEMORIAM CELEBRATO

– refert Iosua Klein –



*Helgi Nikitinski in memoriam imaginis positæ imago a Tychone Davidiano facta*

A . d. vii Id. Dec. anno proximo Moscoviam, ut acroases in memoriam Helgi Nikitinski Moscuensis<sup>1</sup> casu fatoque e vita nobis erepti haberent, utriusque linguæ antiquæ docti utrimque terrarum petiverunt. Europæi quidem, nisi mihi dumtaxat robur multo superiores, frigore ingenti terque quaterve peiore quam media in Europa – de quo, cum oratione habenda iam iocarer, nemo autem Rutenorum, non quo nova peregrinorum esset lacrima, ridebat – valde laborabant, sed nihilo minus Academiae Mocoviensis Elisabetanæ Lomonosovianæ Scholæ Grammaticorum utriusque linguæ Grammaticorum stationi arcessiti sunt, qui conventui IX a. MMXVI de linguæ Latinæ ætate recenti studiis igitur cui titulus erat «utriusque linguæ grammatica et quatenus illa cum omnium gentium litteris artibusque coniuncta sit» celebrato interessent.

Helgus Nikitinski doctor non modo philologus classicus doctissimus sed etiam Latinitatis recentioris necnon vivæ fautor egregius a.d. viii Id. Iun. a. MMXV mortem obiit. A.d. xviii Kal. Oct. a. MCMLXVII Moscoviæ ortus primum rebus naturalibus et mathematicis studuerat deinde autem in universitate studiorum Lomonosoviana a. MCMLXXXVI in philologiam classicam incumbere incepit. Quæ studia et Friburgi et Moscoviæ honore doctorali tributo peregit. Variis tum stipendiis academicis acceptis sæpius in Germania versabatur, donec in universitatibus studiorum Monaci et Monasteri Westphalorum opera facienda adeptus est.<sup>2</sup> Maxima peritia res non solum antiquas sed etiam neolatinas coluit, ut et opera de Callimacho et Monasteri Westphalorum rebus gestis Latine conscriptum et scriptorum recentium Latinorum editiones, ut Davidis Ruhnkenii,<sup>3</sup> Iohannis Matthiæ Gesner<sup>4</sup> et Henricus Stephani<sup>5</sup> itaque se philologum notum toto in orbe maximique ponderis præstaret.

Ingentes hic Alexio Haliæto doctori humanissimo (qui et Belikov) gratiæ sunt agendæ, qui ante me iam tam bene curavit, quam vestigia mea in Ruteniam flectere incitarem, ne ulla molestia atque difficultate devenirem. Conventus pridie discipuli autem huius instituti me ab aeroporto ad deversorium illud splendidum tempore Iosephi Stalin ædificatum comitati sunt. Quo tecto me gratis et longius quam conventus erat recipiebant.



*Ecce ædes, quæ regibus dignæ domui videntur, conventus Latinitatis vivæ oratori tecto erant (Alfred Schærli imaginis auctor)*

Postridie mane Latinitatis vivæ sodales ab Alexio Scatebrano professore doctissimo verbis gratissimis excepti sunt orationes suas facturi. Qua præfatione prima pars antemeridiana incohata est. Principio carmen «de Helgi Nikitinski more præmatura» a Michaele de Albrecht professore Heidelbergensi eruditione præclaro fictum ac Anastasia Auriari (Zolotuchina) doctrice recitante consolando dolorem levavit. Deinde autem Catharina Antonetz Valdemari filia doctrix nobis argumenta et rationes collectaneorum huius conventus editorum retulit, in quibus et orationum argumenta habiturum nonnulla inveniri possunt. Maurus tum Agosto doctor Italus «de Helgo Nikitinski studiorum humanitatis cultore» valde facundus exposuit. Qui postridie occasionibus nactis non modo Sophoclis regis editionem suam, quam recognoverat, ab Alexio Scatebrano professore divulgatam exposuit,<sup>6</sup> sed etiam moderatore Rutenice interrogante et Alexio Scatebrano professore interprete se percontationi televisificæ dedit.<sup>7</sup> Tunc autem Alexio Haliæto doctori erat carmen Michaelis Humileusky poetæ neolatinæ sæculi duodevicesimi tractandum. Quem consequi Theodoricus Sacré professor Lovaniensis debuisset, qui tamen non adesse poterat. Cuius vice sed Eva Ianzina



*Ecce Maurus Agosto doctor ad lævam et Alexius Scatebranus professor pulchre subridentes (imaginem Tychbo Davidianus denuo fecit)*

Vencesclai filia doctrix nobis inquisitiones suas in vocabula palæstrica argute peractas iam protulit. Quæ Michaeli Shumilin de rostris cessit, qui ut locos duos poetarum Latinorum recentium emendaret. Denique Alexius Scatebranus professor parti priori finem fecit linguam Latinam apud Rutenos cultam eiusque proprietates narrans.

Post prandium Alexander Suppopulinus (Podosinov) Basiliï filius professor alterius partis præses Thomam Borri doctorem, ut Helgum Nikitinski, verbi artificem, virum, amicum commemoraret, rogavit. Deinde Alexius Albanus doctor ratione sua vocabuli uberis apud Græcos et Latinos nobis gaudio erat. Tunc autem Alexius Vestigiarius Saravipontanorum comes hospesque semper pergratus relationem diligenter curatam «De commentariis periodicis Latinis, qui per terrarum orbem ab exeunte sæculo XIX ab medians sæculum XX» prodierant, habuit. A me sequente suffragia in Civitatibus Fœderatis Americæ Septentrionalis habita illustrata interrogandi ardorem atque disputandi incitantia. Alexius Philtrius tum (qui et Lyubzhin) Inguari filius de Academia Pozharskiana notam fecit. Postquam Elias Gimadeieuius myrti apud Horatium vim et usum demonstraverat, Ioannes Timotheus Sergii filius, «quibus modis quattuor elementa apud Lucretium nominentur», nobis patefecit. Tum Dionysius Sclenus (Schlenov) hegumenus sacerdos prius allocutionem protulit, quam iconotelephono iuvante Aloisius Miraglia doctor Italus ægrotans nos de Latinitatis hac ætate condicione certiores faceret et Terentius Tunberg præclaræ professor universitatis studiorum Lexintoniensis opus Helgi Nikitinski laudaret. Imaginibus postremo nonnullis præbendis Alexius Scatebranus professor ad leviora procedens Helgi Nikitinski vitam admodum iocose commemoravit. Et traherent cum sera crepuscula noctem, in universitatis studiorum abdidimus cauponam in mensa procumbentes, cui prælecti decus gustus tribuerant coqui.

Maxime est talis conventus parandi studium Moscuiensium laudandum. Qui de litteris Latinis Græcisque recte tractandis tam meriti sunt – utinam

gloria luctus Helgi amissi levaretur! Quorumque et hospitio et eruditione et doctrina et comitate valde fructus sum. Et maximas denique et aliorum oratorum nomine præcipue peregrinorum, quibus variis de causis tale iter, quale facere necesse erat, minus fuisset, nisi hospitem opibus, expeditum, et omnibus, qui conventui comparando pro virili parte operam dederunt, et Alexio Scatebrano professori mirabili doctrina exornato pro invitatione habeo gratias. 🍷🍷



*Ecce Terentius Tunberg professor per iconotelephonom apparuit (imago facta est a Tychbone Davidiano)*

1. Ecce elogia : Belikov, A., Oleg Dmitrijewitsch Nikitinskij (1967–2015), in: Westnik drevnej istorii 1/76, 2016, 203-205; U. Nelles, U., Heidrich, J., Enenkel, K., Buch, H., Dr. Dr. Oleg Nikitinski. in: Pagina Universitatis studiorum Monasteriensis quæ est: <https://www.uni-muenster.de/imperia/md/content/mittellatein/dasinstitut/nachrufon.pdf>.
2. Helgo tam sæpe in Germania commorante maximus erat mihi honos unus conventui Germanus interesse.
3. Davidis Ruhnkenii oratio de doctore umbratico, edidit Helgus Nikitinski, Neapoli 2001.
4. Gesner, I. M., Novus linguæ Latinæ et eruditionis Romanæ thesaurus, Lipsiæ 1749, duo volumina, I (editio nova Neapoli 2006–2008).
5. Stephanus, H., Thesaurus Græcæ Linguæ, Parisiis 1831–1861, novem volumina (editio nova Montellæ 2000–2008).
6. [https://www.youtube.com/watch?v=L45ZNmkA\\_jk&feature=youtu.be](https://www.youtube.com/watch?v=L45ZNmkA_jk&feature=youtu.be) (inspexi pr. Kal. Mart. an. MMXVII).
7. <https://www.youtube.com/watch?v=wNXIRd-YSnQ&app=desktop> (inspexi pr. Kal. Mart. an. MMXVII).

# HELGVS NIKITINSKIJ: VERBI ARTIFEX, VIR, AMICVS

– scripsit Thomas Franciscus Burrus sive Bórri – \*

Domini, dominæ, amici,  
Gratias, ante omnia, Vobis ago – et utrique in primis Alexio, Haliæeto<sup>1</sup> et Philtrio,<sup>2</sup> qui mi, dormitanti advenæ, tot in rebus humanissime auxilio fuerunt; gratias, inquam, ingentes, ex animo, quod hanc in amplissimam urbem, novam Romam, dignati estis me invitare. («In tertiam Romam», dicturus eram; amicus tamen bohemus, ardens patriæ amator, me monuit hunc titulum potius Pragæ suæ convenire. Sed, quid refert sitne Mosqua tertia an quarta, cum sit sane æternæ illius Romæ, luminis interituri nunquam, filia?)

Quid nunc de te, Helge, dicam? Fuisti, *es* – vivis enim –, nobis amicus.

*Amici* autem vocabulum, domini, idcirco huius oratiunculæ indicis postremum verbum esse volui, ut quasi gradatio quædam efficeretur, quam rhetores vocant. (Veniam a Vobis peto propter *er* hoc meum uolare, gallicum magis, vel germanicum, quam italicum vel latinum. Vitiosam enim hanc consonantem, quam a matris ore parvus puer didici, nondum proferre dedidici. Peccatum est tamen hoc veniale tantum: nam de alio ac distincto phonemate, ut aiunt glottologi, minime agitur.)

«Verbi artifex, vir, *amicus*»: en index, en, ut iam dixi, gradatio.

Non enim eum erratum esse puto qui sublime hoc *amicitiæ* vinculum summum *humanitatis* fastigium, ac naturæ nostræ quodammodo perfectionem, esse contendat.

Quod amoris genus (*amicitiam* dico) in communicatione atque communione consistit: ita præclare stagirita ille non solum philosophus sed poeta: φίλια ἐν κοινωνίᾳ ἐστίν.<sup>3</sup>

Unde autem oritur communicatio illa qua nostra omnia, nulla vel minima re excepta, amico donamus (nam κοινὰ τὰ τῶν φίλων, ut in proverbio est),<sup>4</sup> atque communio qua, non quidem *unus, unum* tamen cum amico sumus? Unde, inquam, nisi ex divino illo verbi dono?

Ex verbo, sane: ex verbo, quo homines, Rationis participes, sociabile genus sumus; ex verbo, quo rerum universitas omnis regitur, sub «gratioso lumine Rationis»<sup>5</sup> altissimæ. Siquidem non nisi verbis totum, præsertim interiorem, hominem amico revelamus ac tradimus, et per verba interior dilectio fit amico manifesta.<sup>6</sup>

Quid multa? Efficitur verbo ut homines, efficitur ut amici simus.

Sed iam venia mi est a Vobis, domini, petenda: iam satis superque philosophati sumus.

Ut eo igitur redeat unde nostra digressa est oratio: fuit Helgus – id confidenter assero – latini verbi *artifex*.

Hoc quoque sæculo, si quicquam aliud inficeto, homines invenias quos «latinos» appellare liceat: *latinos*, id est qui latine loquantur scribantque (venit nunc in mentem illud Volfgangi, sive Lupambuli, Goethe, qui fassus est – hoc mi Helgus ipse narravit – id se vehementer optare, fore aliquando ut scriberet theodisce: o sapienter dictum, ac præclaro illo ingenio dignissimum!) Equidem, qui, si in hoc numero me esse dicere audeam, non minus ridicule quam turpiter mentiar, perpaucos tales summos viros in præsentem vivere autumare ausim.

Fuisse autem Helgum nostrum in hac electissima hominum manu, fuisse eum *virum latinum*, quis sanæ mentis rem tam conspicuam neget vel in dubium revocet? Quis præsertim, qui eius *De eloquentia latina sæculorum XVII et XVIII* dialogum legerit – opus summum, atque inter præcipua recentissimæ latinitatis monumenta collocandum –, quod opus Michael Angelus Costagliola, mi pariter et Helgo amicus, anno præteriti millennii ultimo edidit?<sup>7</sup> (Quod *millennium* dixi, neminem Vestrum me reprehensurum esse spero: nonne enim verbum hoc, alioquin bene confictum, necessario novandum et in usum inducendum erat?)

Fuit Helgus *vir latinus*. Bene quidem.

Nondum tamen, qui hoc unum videat, quid proprium Helgi et vere peculiare fuerit satis videre arbitror.

Non enim solum eruditus grammaticus Helgus. Verborum sane scrutator, quin et «spirans bibliotheca»,<sup>8</sup> vel «lexicon», si placet, «ambulans», ut aiunt germani:<sup>9</sup> qui in ea quasi aurifodina quæ est *Thesauri* illius sedes monacensis operam dedit. Homo præterea elegans, multarum rerum, quasi puer, curiosus, multarum rerum peritus, vir bonus, amicus.

Quibus summis laudibus hanc tamen addendam esse puto, quæ si cui forte nimia videatur, nihilominus quod sentio dicam aperte: Helgum nostrum unum, inter æquales suos (qui mi saltem noti sint), non solum viri latini, sed veri latini artificis sacro (Platone teste)<sup>10</sup> nomine dignum esse. Ad hoc natus erat; et hac fortasse de causa, dis carus cum esset – ut Menandri<sup>11</sup> (et Iacobi nostri Leopardi)<sup>12</sup> verbis utar –, iuvenis, eheu!, mortuus est.

*Artifex* quid sit si ab Ægidio illo Forcellini, lexicographorum facile principe, quæras, definite ac dilucide, suo more, tibi ille respondeat,<sup>13</sup> eum esse qui artem aliquam exercent, non solum mechanicam sed etiam liberalem, «ita ut bonis studiis ac disciplinis imbutus fuerit». Artificis autem proprium est *artificium*, quod – ita nos iterum Forcellinius docet –<sup>14</sup> «generatim pro calliditate, arte, peritia» sumitur «qua quis utatur in re difficili agenda». Is igitur latine «verbi latini artifex»



vocari posse videtur qui callide et artificiose, vel, ut paulo maiora canamus, eleganter ac sapienter latinorum utendorum verborum laudem merere iudicetur.

Hoc autem sensu si *artificis* vocabulum accipiamus, non est cur uni Helgo hæc laus tribuatur.

Sed tamen...

Helgus non «ita admirabatur veteres ut contemneret recentiores»: hæc enim verba, quæ ab Iohanne Augusto Ernesto de Iohanne Matthia Gèsnero dicta sunt, quæque ipse Helgus dialogo quem supra laudavimus inscripsit,<sup>15</sup> de eo quoque profecto dici possunt, qui avidissime libros etiam recentiores, variis linguis conscriptos, legerit ac lectitaverit.

Quæ cum ita sint, non succensurum eum spero si, de eo dum dissero, ita *artificis* et *artis* nomina accipio ut potius secundum quædam, non quidem recentissima, sed recentiora cogitata enodentur. Is enim veri nominis artifex mihi esse videtur qui, cum aliquid altum, in se vel extra se positum, mentis oculis intuitus sit quod suapte natura vix sermone communi vel ratiocinationis processu exprimi possit, per signa et figuras, vel, si magis placet, per allegoriam quandam, tenuiter ac suaviter quasi e longinquo id indicet. Hoc est igitur artificium, ars, per ea quæ dicuntur, mortalium mentibus ineffabilia arcanaque quasi evocandi.

Sed taceat iam inepta verborum: Helgi ipsius iam audiatur vox.

Tres præsertim latini scriptores ei in amore atque in deliciis fuerunt: Lipsius, Muretus, Runcenius.

«Ruhnkenius [...] mihi lætior amabiliorque [Helgi nostri hæc sunt verba],<sup>16</sup> Lipsius plus virium, Muretus vero plus felicitatis illius copiam habere videtur.»

Porrectis nunc auribus laudationem Davidis Runcenii audiamus, amici:

«Ruhnkenius novissime mortalibus ostensus est latinæ eloquentiæ exemplar. Quid tonantius aut magis igneum oratione *De doctore umbratico*? quid limatius sublimiusve *Elogio Tiberii Hemsterbusii*? [Utrique orationi Helgus curas admovit, quarum illa Neapoli, in ædibus Vivarii,<sup>17</sup> hæc autem typis toibnerianis<sup>18</sup> ab eo edita est.] Etenim multi post Ruhnkenium loquentes, nulli extiterunt eloquentes et qui summi oratoris munera tuerentur. [...] [I]n Ruhnkenio erat cum summa humanitate mira coniuncta facundia, ut omnia venuste atque cum dignitate tractaret [assurgit nunc in fine dialogi sermo] oratione non illa oppleta luminibus verborum sed interspersa, ubi clara Tulliani fluminis unda coloratas sententiarum gemmas gratissime interstreperet; oratio eius dulci lenocinio sensus honestissimos exprimit atque officia docet quæ virum gravem et perfectum grammaticum deceant.»<sup>19</sup>

Quid Vobis videtur, amici, de *luminibus* illis *verborum* orationi *interspersis*? quid de *clara tulliani fluminis unda*? quid de *coloratis sententiarum gemmis*?

De quo perditarum deliciarum horto, Helge, non orator nec grammaticus sed *poeta* loqueris? Quos cælos, quæ flumina, quas tandem abyssos nobis naras? Ubi splendent, Helge, hæc lumina? In quod pelagus interminatum<sup>20</sup> fluvius ille influit? Iam caligant oculi, subito modo insolitoque fulgore perculti.

Audiamus nunc Helgum, quid de summis gallis auctoribus sentiat:

«[...] [C]um constet, eloquentes iudicium rectum atque animum sublime elatum facere, hæc ut assequamur, non magnopere *refert*,<sup>21</sup> qua potissimum lingua scriptos libros legamus. [Gallorum autem auctorum, qui sunt] summo studio legendi, [...] agmen ducit Bossuetius ille sublime tonans Francogallicæ eloquentiæ deus. Cui [...] proxime [...] accedit Ioannes Racinius, deliciæ meæ, tener et idem gravis [...]. Franciscus Renuus a Castello Briani (Chateaubriand), quo nemo melius de speciosis naturæ spectaculis scripsit, magno usui esse potest» –<sup>22</sup> cetera.

Quis non videt de se quoque hic Helgum loqui? Cui non solum «iudicium rectum», sed «animum sublime elatum» liberalissime donavit Verbum Deus. Qui enim fieri poterat ut cum aquila illa Meldensi (Bossuetium dico) in sublimi eloquentiæ cælo non volaret qui ipse aquila erat? Quis non libenter credat puerum nostrum cum Renato illo, sibi simili, pueriliter ludere solitum?

«Dominici Baudii eloquentiam exosculor; est lætus præcultus erectus plenus candidus succulentus profluens nec diffluens, oratio munda emendata canora, lepore perfusa.»<sup>23</sup>

His periculis modis musicis, quid festivius? En habetis, domini, *claram belgani fluminis undam*.

Ibi quoque ubi hanc sublimitatem non attingit, sescenties ita loquitur Helgus ut animum eius puerilem, candidum, ferventem contemplari cogamur:

«Famianum Stradam cum lego, tantum nescio qua dulcedine afficior ut vix ab eo divelli possim.»<sup>24</sup>

(Non elegantias nunc quærimus – totus enim liber ille vere aureus elegantissimus est –, sed locos paucissimos, e sescentis qui afferri possunt, ex quibus huius nostri *poetæ* animus eluceat. Nonne autem poeta is demum est qui pueri qui in nobis habitat vocem, longo posterioris vitæ strepitu iam raucam factam, audiat? Ita sapienter, et o quam vere!, Pascolius noster.)<sup>25</sup>

De Iohanne Harduino,<sup>26</sup> Vergilii censore ineptissimo (qua insania alios quoque iesuitas debacchatos esse constat), cum alia Helgus tum hæc:

«Libri quidem Harduini mihi non propter eloquentiam arident, sed placet ingenium audax; ut in observationibus in *Aeneida* – si quando hilarior mens mihi post duo *triave*<sup>27</sup> vini pocula contigit – pugnacibus sententiis delector. Ultra praecepta petit atque in omnium eruditorum conspectu ridicule pessum deicitur.»<sup>28</sup>

Placet hic urbana irrisio. (Harduinus autem – vir alioquin quam qui maxime doctus – ad id insaniam pervenit ut non solum Vergilii, sed Horatii, Ciceronis aliorumque opera spuria esse contenderet; ut «Effrenam Harduini audaciam!» cum Helgo exclamemus.)<sup>29</sup>

Argute de Neutonio:

«[...] Neutoni opera latina ita sunt, ut ipsam rerum naturam propria quadam lingua loqui videre videaris. Hoc effecisse divini fortasse erat meriti, sed aliud est latine aliud physice loqui.»<sup>30</sup>

Facete de Maiansio:<sup>31</sup>

«Is quidem inter Hispanos sui temporis Latinus etiam videri potest, inter Latinos vero Hispanus mihi videtur; et sibi magis placet quam mihi.»<sup>32</sup>

Iterum de eo ut cogitemus efficit dum hæc sapienter dicit:

«Profecto singulis ætatibus paucissimi extiterunt qui non tam dicendi copia ac facultate quam peculiari, ut ita dicam, orationis facie atque nativo quodam et nemini imitabili habitu excelleret.»<sup>33</sup>

Quotiescunque, Helge, eloquenter eloquentes, docte doctos, elegantes elegantes homines laudas, ad te nostra currit cogitatio, *heu miser indigne frater adempte mihi!* Nonne enim, cum Runcenios, cum Muretos, cum Lipsios tuos summæ tuæ artis pingis coloribus, te ipsum pingis?

De me autem, qui ob collegarum amicorumque tuorum benevolentiam – quibus denuo gratias maximas ago – hoc non minus veritati quam amicitiae quasi votum reddidi, quid dicam, ut audaciam meam excusent? Iterum tua afferam verba:

«[D]efuit [...] ei latini sermonis facilitas [...], quæ ex multum scribendo acquiritur.»<sup>34</sup>

Romanorum ultime, Helge; litterarum nostrarum ornamentum ac decus, per quas increati luminis aliquid in has tenebras interdum pluit; vir candide, Helge, sapiens, serene, amabilis, nobilis; Helge vir bone; dilectissime denique nobis sublimis amice; haurias hodie ex corde Verbi in paradiso aquas vivas, quibus omnis in æternum tua exstinguatur sitis. – Dixi.<sup>35</sup> ☺

\* Hæc oratio die VII mensis decembris anno MMXVI Mosquæ, in ædibus academiae a Michaele Lomonosov nuncupata, habita est.

1. Qui et Belikov.

2. Qui et Ljubžin.

3. Cfr. Arist., *E. N.*, 1161b: Ἐν κοινωνίᾳ μὲν ὄν πάσα φιλία ἐστίν; ibid., 1159b: ἐν κοινωνίᾳ γὰρ ἡ φιλία.

4. Cfr. iterum Arist., *E. N.*, 1159b; Cic., *De off.*, I, 51; cet.; Erasmi præterea

*Adagia: Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami recognita et adnotatione critica instructa notisque illustrata*, ordinis secundi tomus primus (Amstelodami, 1993; et in omnium gentium rete:

<http://jvpoll.home.xs4all.nl/back/Web/erasmus.htm>), p. 84-86.

5. Verba hic afferuntur quibus Dantes Alagherius (de alia re agens) utitur (*De vulgari eloquentia*, 18, 5).

6. Cfr. Arist., *E. N.*, 1156b.

7. *De eloquentia latina sæc. XVII et XVIII* dialogus, auctore Helgo Nikitinski, Neapoli, in ædibus Vivarii, 2000.

8. Cfr. Eunapius in vita Porphyrii: βιβλιοθήκη τις ἦν ἔμφυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον (de Longino loquitur).

9. *Ein laufendes Wörterbuch*.

10. Cfr. Pl., *Ion*, 534b: κοῦφον γὰρ χρῆμα ποιητῆς ἐστίν καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν: nonne autem omnis artifex est poeta?

11. Fragm. III Körte-Thierfelder: ὄν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθηήσκει νέος. (Recentior editio Rodulfi Kassel et Nicolai [Colin] Austin non est ad manum.)

12. Qui carmini quod *Amore e morte* inscripsit Menandri verba præmisit: «Muor giovane chi al cielo è caro».

13. *Lexicon totius latinitatis*, ab Ægidio Forcellini [...] lucubratum, deinde a Iosepho Furlanetto [...] emendatum et auctum, nunc vero curantibus Francisco Corradini et Iosepho Perin [...] emendatius et auctius [...], Patavii, typis seminarii, 1864-1926, in voce.

14. Ibidem, in voce.

15. P. 7.

16. Leguntur autem in eius *De eloquentia...* dialogo (vd. hic ann. 7), p. 206. Ii quos commemorabimus loci, omnes ex hoc libro deprompti sunt: paginas igitur indicare sufficet.

17. Anno 2001.

18. Anno 2006.

19. P. 206-207.

20. Cfr. sanctus Iohannes Damascenus, *De fide orthodoxa*, I, 9 (Migne, *P. G.*, 94, 836B): Ὁλον γὰρ ἐν ἑαυτῷ συλλαβῶν ἔχει (sc. Deus) τὸ εἶναι, οἶόν τι πέλαιος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον. Quæ verba sic a sancto Thoma Aquinate conversa sunt (*S. theol.*, I, quaest. 13, art. II, in corp. art.): «Totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse velut quoddam pelagus substantiæ infinitum et indeterminatum».

21. «Referre» per errorem scriptum est (p. 117).

22. P. 117-119.

23. P. 133.

24. P. 82.

25. Cfr. Giovanni Pascoli, *Miei pensieri di varia umanità*, Messanae, Muglia, 1903, p. 1-2: «È dentro noi un fanciullino» («Inest in nobis parvus puer») et ea quæ sequuntur. Hunc autem puerum «primus in se invenit» («primo in se lo scoperse», p. 1) Cebes ille Thebanus, qui in *Phædone* (cfr. 77e) cum Socrate colloquitur.

26. Qui vulgo Hardouin (1646-1729).

27. Per errorem «tresve» scriptum est.

28. P. 109.

29. Cfr. p. 110.

30. P. 124. Cfr. Quint., *Inst.*, I, 6, 27.

31. Id est de Gregorio Mayans y Siscar (1699-1781).

32. P. 151-152.

33. P. 156.

34. P. 146-147. (De Tiberio Hemsterhusio loquitur.)

35. Gratias ago plurimas Antonio Haaker et Roberto Carfaneo (Carfagni) amicis, qui mi haud parvo fuerunt auxilio.



# *In hoc fasciculo !*

- Libertas, æqualitas, fraternitas* [G. Licoppe] p. 1  
*Ex Antverpia Lux? De conventu quodam didascalico* [C. Laes] p. 3  
*De quodam Welleriani carminis 'Y' inscripti loco* [I.A. Rojas Carrera] p. 5  
*De nova Genesi (II) De Terræ constitutione et vitæ ortu* [G. Licoppe] p. 10  
*De conventu in Helgi Nikitinski memoriam celebrato* [I. Klein] p. 12  
*Helgus Nikitinskij: verbi artifex, vir, amicus* [T.F. Bórrri] p. 14

*Imago tegumenti: Hoc abecedarium, confectum e nitido opere Petri Sipes  
(Abecedarium Latinum. Primi gradus in Latinitatem, ill. Jessica Rojas),  
invenitur in sede interretiali 'Ratiocinatio' inscripta (<https://sciotti.wordpress.com>). Non inest littera Y!*

---

## SCHOLÆ ÆSTIVÆ

Mense Iulio in Italia

Montellæ, in amœno Campaniæ oppido haud procul a Neapoli, scholæ æstivæ linguæ litterarumque Latinarum a die III mensis Iulii ad diem XV habebuntur. Ii invitantur qui sermonem Latinum iam noverunt (non solum grammaticam Latinam, verum etiam ea vocabula quæ sæpius in libris inveniuntur participes sciant oportet).

Si plura de hoc incepto scire velis, paginam retialem adi quæ est

[www.scholalatina.it](http://www.scholalatina.it)

vel epistulam mitte ad

[info@scholalatina.it](mailto:info@scholalatina.it)

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 20 eur. / 25 \$

BNP Paribas Fortis :

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA